

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Anima af  
cum fonte primo

Tutum iter et iocundum est  
ad quod natura te instruxit.  
Dedit tibi illa que si non deserueris,  
par Deo consurges.  
Parem autem Deo te pecunia non faciet;  
Deus nichil habet.  
Praetexta non faciet; Deus nudus est. Fama non  
faciet nec ostentatio tui;

nemo nouit Deum,  
licet multi male de illo existiment et impune.  
Non turba seruorum lecticam tuam

portancium;  
Deus ille maximus potentissimusque  
ipse uehit omnia, nec forma quidem et uires  
beatum te facere possunt.  
Nichil horum non patitur uetustatem.

Quid ergo animus? Sed hic rectus, bonus,  
magnus. Quid aliud uoces hunc quam Deum  
in corpore humano hospitantem?  
Hic animus tam in equitem Romanum  
quam in libertinum,  
quam in seruum potest cadere.

Seneca XXXI. epistola.

Non per Poeninum Graiumve montem  
nec per deserta Candaviae; nec Syrtes tibi  
nec Scylla aut Charybdis adeundae sunt, quae  
tamen omnia transisti procuratiunculae pretio:  
tutum iter est, iucundum est,  
ad quod natura te instruxit.  
Dedit tibi illa quae si non deserueris,  
Par deo surges.  
Parem autem te deo pecunia non faciet:  
deus nihil habet.  
Praetexta non faciet: deus nudus est.  
Fama non faciet nec ostentatio tui  
et in populos nominis dimissa notitia:  
nemo novit deum,  
multi de illo male existimant, et impune.  
Non turba seruorum lecticam tuam  
per itinera urbana ac peregrina  
portantium:  
deus ille maximus potentissimusque  
ipse uehit omnia. Ne forma quidem et uires  
beatum te facere possunt:  
nihil horum patitur uetustatem.  
Quaerendum est quod non fiat in dies peius,  
cui non possit obstari.  
Quid hoc est? animus, sed hic rectus, bonus,  
magnus. Quid aliud uoces hunc quam deum  
in corpore humano hospitantem?  
Hic animus tam in equitem Romanum  
quam in libertinum,  
quam in seruum potest cadere.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae  
morales*, 31.9-11 (L. Reynolds ed., vol.1, p.91,  
ll.5-22).